


5513



DE
PROBATIONE
CONDITIONIS INDEBITI
RITE SVSCIPIENDA

DISPV TATIO
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE
ANTIQUITATVM IVRIS PROFESSORE PVBLICO, SOCIETATIS
LATINAE IENENSIS COLLEGA

DIE XVI. OCTOBRIS MDCCCCLXVII.

DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS HENRICVS FISCHER

PLAVIA NARISCVS.

LIPSI AE
EX OFFICINA LANGENHEMFA.

17

DE
TRORATIONE
CONDITIONIS INDEBITI
PATE FACIENDA

DISPUTATIO

HELVETICIS IN ORDINE

A. M. D. C. C. C. C.

IN A. M. D. C. C. C.

AVGVSTO ANDRICO SCHOTT

PHILOSOPHO ET MATHEMATICO DOCTORE
ARTIS ET LINGVAE GRAECAE FACULTATE

IN A. M. D. C. C. C.

CAROLVS HINNVS FISCHER

PERILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO FERDINANDO
LINDEMANNO

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
CAMERAE
PRAESIDI VICARIO

PATRONO INDVLGENTISSIMO
SACRVM DEVOTVMQVE.

PERISSIMO
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
CAROLO FERDINANDO
LINDEMANNO
SERENISSIMI ELECTORIS SACCHE
CAMERARII
FRATRI VIGARIO
PATRONO INDULGENTISSIMO
EACUM DEVOTISSIMO



PERILLVSTRIS

ATQVE

EXCELLENTISSIME DOMINE,

PATRONE INDVLGENTISSIME,

Magna sane est audacia, quae suasit consilium felicissimis TVIS auspiciis leuem hanc et exiguam edendi scripturam eique ex TVAE dignitatis copia pondus quoddam adjiciendi, quod in se nunquam habere alias potuisset. Quibus argumentis huius meae licentiae causam dicerem, haud sane scirem, nisi tanta esset TVAE indulgentiae et facilitatis fama, quae et maximam spem atque fiduciam in ea positam excusare possit. Accedit Consultrissimi TVI filii peculiaris fauor et beneuolentia, qua sine jactationis specie gloriari posse puto, cuiusque humanitas, cum ei aperirem hoc meum consilium, ita ad id exequendum firmavit animum atque excitauit, ut ea fretus tantum

non majus quid in TE commississem. Si igitur hae rationes tantum valent apud TE, quantum valituras eas speravi, per hanc TVAM indulgentiam atque facilitatem, per hunc TVVM filii amorem, quem tantum esse scio, ut quicquid eius nomine factum sit, haud ingratum TIBI esse possit, per hanc tantam meam spem in TE positam rogo TE obtestorque ignoscas audaciae, firmes spem et benevole accipias libellum non alia nisi speciminis edendi causa conscriptum, nec alia ex ratione TIBI dicatum devotumque, quam ut eam TIBI possim declarare venerationem atque obseruantiam, quam quisque bonus ciuis et pius Serenissimi Principis nostri atque adeo totius Reipublicae utilitatis amator debet TIBI et lubenter spondet. Ut hanc publicam utilitatem diu augeas, hoc est, ut ad seram usque aetatem firma et inconcussa vigeas valetudine, ut vna cum splendidissima TVA familia omni floreas salute ac felicitate, id est, quod seruentissimis meis precibus abs Deo peto efflagitoque. Ceterum, si TVO patrocinio in posterum etiam haud indignum me iudicaueris, felicissimum me praedicabo

PERILLVSTRI NOMINI TVO

DEVOTVS CLIENS

CAROLVS HENRICVS FISCHER



§. I.


Quum qualiumcunque meorum in iuris scientia profectum specimen quoddam edere vellem, haud diu sane dubitandum erat, ex quam illius specie argumentum mihi disceptandum depromerem. Est enim ius Romanum praegnans difficiliorum quaestionum mater, quae cuicumque in earum disquisitione industriam quandam collocare volenti largam scribendi materiam praebere possint. Cum igitur talis quoque mihi visa sit ea, quae de conditionis indebiti probatione moueri solet, statim tenui hoc libello breuem eius explanationem suscipere constitui, quod quidem ita peragam, vt praecipuis momentis, quae in omni probatione attendere necesse est, propositis, et conditionis indebiti natura paucis verbis exposita, de ipsis rebus, quae circa probationem huius conditionis obseruandae sunt, disputationem instituum. Qui quidem iuueniles conatus vt, nisi patronorum



quorum caussa inprimis facti sunt, assensu, saltem tamen eorum indulgentia haud indigni omnino videantur, omnem quam vires permittent, operam dabo.

§. II.

Atque in delineanda probatione haud multum negotiū nobis afferet eius definitio. Quodsi enim rem ipsam intuearis, inuenies, probationem nihil aliud esse, nisi fidem legitimam quam de re controuersa iudici facit is, qui affirmat quod alter negat. Cum autem hoc plerumque fiat ab actore, non mirum, praecipue ad eum pertinere probationem, ita quidem, vt probare in legibus saepius dicatur: *actoris partes tenere. §. 2. Inst. de action. L. 15. π. de nov. ap. nunc L. 9. π. de probat.* Sed neque reus semper immunis est a probationis onere. Cum enim is nonnunquam excipiendo actor fieri soleat, huius partes et in eo explere tenetur, vt iudici fidem faciat de eo, quod ab altero est negatum. Sed nec ob hanc quidem solam causam probationis onus in reum deuoluitur. Militantibus enim pro actore affirmante grauioribus iuris praesumptionibus, reus quoque necessitate contrarium demonstrandi adstringitur, quod nonnunquam etiam in conditione indebiti fieri, infra videbimus. Iam alia quaestio de rebus, quae in probationem veniunt, est decidenda et, quid debeat probari, demonstrandum. Ipsa vero probationis natura, quam in eius definitione expressimus, ostendit, fidem debere fieri de rebus controuersis, quibus facta dubia comprehendi, nemo dubitat. Vnde adparet, non cadere probationem in ea, quae vltro liquent et notoria vocantur *arg. L. 1. fin. π. de act. emt. vend.* Ad notoria autem quoque referuntur, quae sententia iudicis et transactione iam sunt decisa. Quid vero de iuribus? Possuntne ea quoque in dubium vocari et probationi subiici? Diuisae de eo sunt Doctorum sententiae. Quamuis enim omnes in eo conueniant, quod




quod ius' singulare et non scriptum sit probandum, tamen cum circa haec jura semper facti quaestio versetur, quidam verborum nimis tenaces malunt probationem ad ipsum hoc factum referre, quam iuri tribuere. Cum autem ipsa haec facti quaestio dubium reddat ius, non sane video, cur velis probationem ad factum referre, quae iuris causa suscepta est. Deinde cum probare debeat is, qui affirmat, sequitur, probationem versari circa propositiones affirmantes, non negatiuas, licet harum naturam ideo non eam esse dixerim, quae nullam omnino patiatur probationem, vt eleganter demonstrauit BOEHMERVS²⁾. Denique cum ea tantum sint probanda, quae alter negauit, facile adparet, absonum esse, onus probandi per se graue ac molestum sibi ipsi accumulare et iudici de eo fidem facere velle, de quo reus litem affirmatiue est contestatus.

§. III.

Vt autem ordinem, quem nobis proposuimus, porro sequemur, antequam ea, quae de probationibus in vniuersum differuimus, ad conditionem indebiti applicemus, pauca quaedam de huius ipsius conditionis natura praemittenda videntur. Est autem conditio indebiti actio ex quasi contractu Romano oriunda, qua ex errore soluens naturaliter indebitum ab eo, qui ex ignorantia accepit, repetit. Veniunt igitur in hanc conditionem omnes res, quae vel ciuilitur vel naturaliter solutae sunt, cum solutionis vocabulo omnis satisfactio intelligatur. L. 176. *τ. de verb. signif.* Haec autem solutio opus est vt indebite facta sit vel ciuilitur et naturaliter simul, ita quidem, vt nulla neque ciuilis neque naturalis obligatio soluentem adstrinxerit, vel saltem naturaliter tantum, ita, vt nulla naturali obligatione cogente ex sola necessitate ciuili aliquid praestitum sit. Non autem

2) BOEHMERVS in *Diff. de collis. probat.* §. XIII.



tem sufficit, ciuilliter indebitum fuisse, quod solutum est, si naturale ius obligationem produxit, quoniam nulla eorum est repetitio, quae ex mere naturali obligatione debentur, cum ex ea ius ciuile, licet non actionem, tamen exceptionem dare soleat, nisi ita comparata sit naturalis obligatio, vt tam actio, quam exceptio iure ciuili denegetur, qualis est pupilli sine tutoris auctoritate promittentis, quo casu condictioni ob solum ciuilliter indebitum locus est. Sed neque solutio, neque indebitum ad instituendam hanc condictionem sufficiunt, sed error potissimum in vtroque et soluente et accipiente requiritur. Quod enim errans scienti soluit, id condicione furtiua repetitur *L. 18. π. de cond. furt. L. 44. π. de furtis.* Si vero sciens scienti aut ignoranti dederit, donasse intelligitur *L. 53. π. de R. I.* Cum autem omnis error vel iuris sit vel facti, hunc quidem condicionem indebiti non impedire, extra omnem dubitationem positum est, sed num et ea possint condici, quae ex errore iuris indebite soluta sunt, interpretes valde dissentiunt. Ego quidem nixus *L. 7. et 8. π. de iur. et fact. ignorant.* nullus dubito eorum sequi sententiam, qui non aliam ob causam hanc condicionem propter indebitum ex errore iuris solutum admittunt, quam si damni reparandi causa ea instituat. Vna superest quaestio de dubitante: an nempe illi sicut erranti competat condicionis beneficium? Et super ea quoque haud leuis inter veteres fuit controuersia, cuius mentionem facit *JUSTINIANVS*^{b)} rem ita decidens, vt nec ei, qui dubia conscientia soluerit, conditio deneganda sit.

§. IV.

His praemissis nihil impedimur ad caput nostrae disputationis progredi, et a quonam in condicione indebiti probatio sit suscipienda, fusius expendere. Princeps huius rei locus est

b) *JUSTINIANVS* in *L. vlt. C. de cond. indeb.*



est PAVLLI ^{c)}, qui perplexa quidem ratione varias enumerat species, quibus jam actori, jam reo probationem iniungendam esse demonstrat, quas quidem ut singulas suo loco collocemus et regulis de probatione supra propositis accommodemus, jam nostri erit officii. Diximus autem §. 2. probationem affirmanti atque adeo actori ex regula incumbere. Neque est, cur in huius conditionis probatione ab ea secedamus regula. Asserit enim ibi actor, factam esse solutionem, eamque aut totam, aut ex parte indebite praestitam. Haec si reus negauerit, probanda sunt ab actore, nisi peculiaris succurrat ratio, ob quam ab hac probatione liberetur. Cui sententiae nostrae suffragatur PAVLLI ^{l. v. s. l. c. pr.} his verbis: *Eum qui dicit, indebitas soluisse, compelli ad probationes*, expositis antea rationibus, cur id fieri debeat, a diligentia et studio patrisfamilias deductis. *Dicere* autem hoc loco sumi pro agere, seu iudicio instituto suam rem persequi, neminem esse puto, quin ex ipsa verborum serie colligat, quemadmodum id aliis locis iuris civilis, in quibus eadem vocis *dicere* significatio occurrit, *v. c. l. 8. π. de inoffi. Test. l. 15. π. de his qu. ut indig. auffer.* satis confirmatur.


§. V.

Cum autem nulla regula sit sine exceptione, haud mirabilis, hic quoque inueniri nonnullas species, ad quas illa quidem minime extendi possit. Prius vero quam eas proferamus, in earumque disquisitionem descendamus, de iis dicemus, in quas nulla omnino cadere potest exceptio, cum onus probandi actori nunquam detrahi patiantur. Atque PAVLLVS nominatis in §. 1. L. c. personis, quibus hac conditione experientibus omnis probatio in reum deoluatur, in §. 2. cessare hanc exceptionem tribus potissimum speciebus, quas vna quasi farragine collectas hic proiecit, demonstrat. Verba eius haec sunt:

B 2

Sim

c) PAVLLVS L. 25. π. de prob. et praesf.



Sin autem pro parte queritur, quod pars pecuniae solutae debita non est: vel quod ab initio quidem debitum fuit, sed dissoluto debito postea ignarus iterum soluit, vel exceptione tutus, errore eius pecunias dependit, ipsum omnimodo hoc ostendere etc. Quis autem non videt, ICTum in afferendis his speciebus breuitatis magis ac compendii, quam perspicuitatis rationem habuisse? Sed et in exponendis earum rationibus haud adcuratius versatum eum deprehendo. Diuersarum quippe rerum diuersas rationes ex generali quadam regula deducens, cuiusque industriae ac studio permittit disquirere, quaenam earum rationum cuique speciei apta sit atque conueniens. Quod quidem vt rite a nobis fiat, ad hanc ipsam attendamus regulam. Ait ICTus: *Secundum generalem regulam, quae eos, qui opponendas esse exceptiones affirmant, vel soluisse debita contendunt, hoc ostendere exigit.* Haec autem generalis regula duabus consistit partibus, quarum altera solutionis, altera opponendarum exceptionum probationem concernit. Cum enim vt in vniuersum, ita et in tribus his speciebus probatio incumbat affirmanti, in iis autem omnis affirmatio aut debiti solutionem aut opponendas exceptiones afficiat, ICTus duas has res vna eademque propositione haud commode comprehendi posse intelligens species pro genere posuit. Iam vero de singulis his speciebus et quibus eae nitantur rationibus, nunc videamus.

§. VI.

Prima autem earum specierum haec est: *Si pro parte queritur, quod pars pecuniae solutae debita non sit.* Qua in causa ait ICTus: *eum, qui nempe hoc contendit, omnimodo ostendere debere, quod plus debito persoluit.* Sed cur ita? In promptu est ratio, a generalis nostrae regulae primo capite desumenda, *quae eos, qui opponeudas esse exceptiones affirmant, hoc ostendere exigit.* Nimirum cum omnis de indebiti cuiusdam quantitate

tate



tate quaestio orta ex agentium errore sit diiudicanda, hoc quoque casu, si de pecunia pro parte debita pro parte indebita quaeratur, contrahentes duplici errore decepti indebitum efficere poterunt. Aut enim uterque eorum statim ab initio et ante ullam solutionem factam majorem, ac vere erat, quantitatem esse existimavit, aut facta jam a debitore solutione quadam particulari, totam adhuc quantitatem deberi putavit. Quemadmodum igitur debitor a creditore ante perfectam solutionem de tota hac erronea debiti quantitate convenfus, exceptiones suas, priori quidem casu *plus petitionis*, posteriori *solutionis particularis*, probare debuisset: ita idem iam facta totius solutione, dissipato errore et meliorem consecutus rei notitiam, partem indebite solutam repetere cupiens, demonstrare opus habet, se aut maiorem debito quantitatem exhibuisse creditori, aut particulariter quaedam antea eidem soluisse. Aliam quoque rationem, cur iam condicenda ea debiti parte, quae sine causa soluta est, actori semper incumbat probatio, a praesumptione repetitam attulit DVARENVS: ^{d)} *Cum enim, inquit, fatetur quis, partem eius pecuniae, quae soluta est, deberi, credibile est, ei totum debitum fuisse, nisi probetur contrarium.*

§. VII.

Altera huius generis species, quam ob rationum paritatem secundae praeponere liceat, in eo cernitur: *si quis exceptione tutus, errore eius pecunias dependit.* Potest enim aliquis, quod, cum stricto iure quidem deberet, sed perpetua exceptione tutus esset, solvit, hac conditione etiam repetere. Quodsi igitur quis nesciens se iam a iudice esse absolutum, summam in litem et controuersiam deductam ex facti quodam errore soluerit indebite, hoc autem indebitum postea velit condicere, ab-

B 3

solu-

^{d)} DVARENVS in *Comm. in Tit. D. et C. de probat. Cap. IV. p. 939. 2. Oper.*




solutionem sibi factam ex eadem ratione probabit, ob quam exceptionem rei iudicatae probare debuisset, si, priusquam soluerit, debitum ab eo creditor petiisset. Cuius rei exempla nolo hic plura afferre, cum ea inuenias apud VOETIUM^{e)}. Sufficit ex hoc vno intellexisse, hanc speciem cum superiore eodem niti fundamento. Secunda species ab ICTO proposita, seu ex nostro quidem ordine tertia, qua actor in repetendo indebito nunquam a probatione potest liberari, ita expressa legitur: *Si id, quod ab initio debitum fuit, dissoluto debito postea ignarus iterum soluit.* Cuius rei ratio ex altero generalis regulae capite est repetenda, quod quidem ei, qui debita soluisse contendit, probationem injungit. Cum enim omne huius speciei indebitum a solutione debiti cuiusdam, quae postea denuo facta esse dicitur, pendeat, facile adparet, priorem solutionem propterea debere probari, quoniam hac facta posterioris solutionis indebitum per se patet. Conuenit cum hac PAVLLI sententia, seu potius regulae ab eo allegatae capite, rescriptum DIOCLETIANI ET MAXIMIANI IMPP.^{f)} qui forte interrogati: num exceptioni solutionis ita, ut non numeratae pecuniae, temporis quodam lapsu praescriberetur, id propterea fieri posse negant; *quoniam inter eum, qui factum ad seuerans, onus subiit probationis, et negantem numerationem, ad petitozem eius rei necessitatem transferentem, magnasit differentia.* Hoc autem factum, si ad nostram reducatur quaestio- nem, quod aliud esse potest, nisi solutio debiti prior, qua altera eam secuta sit indebita?

§. VIII.

Sic ergo vides, expositis his omnibus speciebus, saluam manere regulam quam §. 2. nostri libelli constituimus, quae- que


e) VOETIUS in Comm. ad Pand. Tir. de cond. indeb. 5. 4.

f) L. 10. C. de non num. pecun.



que actori affirmanti semper injungit probationem, si de solutione indebiti oriatur quaestio. Caue autem, ne temere et sine vlla distinctione eam extendas ad omnis generis solutionem, cum eam tantum ad id restringi velimus, si naturaliter aliquid sit solutum, quod hac conditione tanquam indebitum debeat repeti. Diximus autem §. 3. etiam id venire in hanc conditionem, quod ciuilitur praestitum sit indebite. Quodsi igitur quid promissum sit, quod non debetur, seu cautio indebite interposita, cuiusnam hic erit probatio? actoris an rei? Ad hanc quoque quaestionem quasi transeundo respondit PAVLVS §. 4. c. l. Licet enim is hac §. modi huius probationis magis rationem habuisse videatur, quam quod, quis eam debeat in se suscipere, ostendere voluerit, tamen, quid de hac quaestione quoque sentiendum, ex eius dictis haud obscure colligi potest. Priusquam autem huius rei argumenta exponamus, monendum est, cautionem hoc loco nihil aliud significare nisi chirographum, seu scripturam in securitatem creditoris de debito quodam conceptam. Quod quidem non modo ex verborum contextu luculenter adparet, sed et ex aliis legibus, quibus eadem significatione venit cautionis vocabulum, probari potest v. c. L. 47. π. de pactis l. 1. 2. 3. de non. num. pecun. Cum autem omnis chirographi seu cautionis aut promissionis valor ex causa debendi sit diiudicandus, in decernenda sane huius rei probatione ad eam quoque est respiciendum. Neque hac de re ambigua sunt verba Icti, quibus actori, ad quem omnis iam spectat nostra disputatio, probandi necessitatem imponit. At enim: eum, qui cautionem exposuit, specialiter causas explanauit pro quibus eandem conscripsit, stare oportere suae confessioni: nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis ostendere paratus sit, sese haec indebite promississe. Quibus quidem PAVLLI dictis egregie respondet IUSTINI IMP. constitutio generalis §). Vt autem eo facilius intelligas rem, hunc

g) L. 13. C. de non nam. pecun.



tibi finge casum : Quidam errore adductus putavit, se id, ad quod ex contractu quodam creditori suo quondam erat obligatus, adhuc debere et propterea eidem chirographum, quo huius contractus atque adeo causae debendi mentionem fecit, exhibuit, deinde autem sibi venit in mentem, se jam soluisse debitum, et cessante propterea causa debendi, chirographum tanquam indebite expositum vult condicere, jam oritur quaestio, cuinam instituta hac conditione incumbat probatio? Errares sane, si hanc quaestionem ex regula generali, quae affirmanti injungit probationem, velles decidere, et propterea reo eius imponere onus, quod affirmet causam debendi, quam negat actor. Sed cum ex hoc ipso chirographo tanquam documento publico jam probetur causa debendi, quid aliud eget probatione, nisi exceptiones huic probationi ab actore opponendae? Probabit igitur actor, chirographum tali debendi causa munitum condicens, factum aliquod, quo sublata sit seu remota haec causa. Et in eo sane distat haec species, a ceteris, quas supra explanavimus, quod nempe actor in ea etiam id, quod negavit, probare debeat.

§. IX.

Iam vero altera oritur quaestio de eo, quod debeat actor probare. Cuius rei decisio ex superiore §. 2. est repetenda, ubi demonstravimus, id egere probatione, quod cum asserat actor, neget reus. Quam quidem generalem regulam si ad speciem probationis in conditione indebiti velis adplicare, inuenies, tres esse res, quae cum affirmentur ab actore a reo possint in dubium vocari, solutio nempe, indebitum, atque error. Quae omnia oportet actorem probare. Quo autem modo, quove ordine id debeat fieri, adcuratori eget demonstratione. Atque nunquam fieri solet, ut trium horum momentorum probatio simul vno eodemque tempore ab actore exigatur.



tur. Aut enim negat reus et solutionem et indebitum simul, tum quidem actor probata solutione debiti demonstrationem in reum deuoluit, qui eam in poenam inficiationis, de qua postea pauca disseremus, suscipiat necesse est; aut concessa solutione de indebito negatiue litem contestatur, quo quidem casu actori incumbit onus probandi, se soluisset indebita; aut negat reus errorem actoris, quo is soluisset affirmat, ubi actori onus probationis impositum esse nemo non videt, cum omne fundamentum actionis in errore collocatum sit, nisi negata ab accipiente reo solutione repetens eam demonstraerit, quo casu probandi necessitas ad reum eandem ob causam, propter quam ei nudam indebiti affirmationem probatione elidendam esse diximus, transeat necesse est.

§. X.

Cognitis igitur actoris in hac conditione partibus, quae rei in ea sit conditio, demonstrabimus. Quam quidem si ex huius conditionis natura eruere studeas, intelliges, reum semper immunem esse a probationis molestia, nisi praesumptiones quaedam adsint, quae ei imponant necessitatem monstrandi contrarium eius, quod affirmauit actor indebitum condicens. Oritur autem talis praesumptio aut ex propria eius malitia et puniendi mentiendi cupidine, aut ex actoris persona et qualitate, qui forte aliquid ex desidia sibi non illicita fecisset praesumitur, quod non fecisset, si aut vitae, ratio, aut alia quaedam causa maiorem rerum suarum curam vel propriae utilitatis prouisionem permisissent, aut denique ex causae debendi incertitudine. Priorem ob causam probabit reus indebitum, si negauit antea solutionem ab actore deinde probatam. Audiamus PAVLLI. c. hac de re sententiam: *Ipsum, inquit, qui negauit pecuniam accepisse, si uult audiri, compellendum esse ad probationes praestandas, addita ratione, quod perabsurdum sit eum, qui ab*

C

initio



initio negavit pecuniam suscepisse, postquam fuerit convictus eam accepisse, probationem non debiti ab adversario exigere. Si autem porro quaereres rationem, cur hoc absurdum sit, non aliam tibi possum exhibere, nisi eam, quam apud VOETIVM^{h)} eleganter expositam inuenies, quod nempe semel in mendacio deprehensus et ita malus probatus, deinceps in eodem genere mali aequae mendax praesumi debeat. Est igitur mendacii praesumptio et inficiationis poena ratio, cur reo injungatur probatio, quae ab actore erat exigenda. Sunt praeterea certae personae singulari privilegio iustae iuris ignorantiae munitae, quibus etiam hoc datum est, ut omne probandi onus in conditione indebiti ab iis instituta in reum deuoluant. Enarrat eas quam accurate PAVLLVS l. c. §. 1. his verbis: *Sin autem is, qui indebitum queritur, vel pupillus, vel minor sit, vel forte vir quidem perfectae aetatis, sed miles, vel agricultor, et forensium rerum expers, vel alias simplicitate gaudens, et desidia debitus: tunc eum, qui accepit pecunias, ostendere, bene eas accepisse, et debitas et fuisse solutas, et si non ostenderit, eas reddere.* Superest species, qua reo ob nullam quidem earum praesumptionum, sed propterea, quod ipse magis quam actor affirmare videatur, injungenda est probatio, si nempe cautio sine causa debendi expressa indebite sit exposita. Cum enim apud Romanos nullius omnino momenti atque valoris esset chirographum siue causa debendi conscriptum, facile succurrit ratio, cur is, qui extitisse talem causam contendit, quod affirmat, probare debeat. Reliqua autem, quae debeat probare reus, ex iis, quae §. 9. huius libelli de actore disputauimus, facile poterunt colligi vi contrariorum. Hoc tamen animaduertendum est, quod quemadmodum actor solutionem semper, ita reus eam nunquam probare debeat. Aut enim is eam confitetur, et sic res est notoria et nulla eget probatione, aut negat eam, quo quidem casu affirmantis, nempe actoris, non negantis, est probatio.

§. X.

h) VOETIVS in Comm. ad Pand. Tit. de condict. indeb. §. 14.



§. XI.

Sic quidem omnem de conditionis indebiti probatione materiam breuiter me absoluisse puto. Vberiolem et meliorem huius argumenti pertractationem iis relinquo, quibus et aetas et opes et ingenii dotes facilius reddere poterunt negotium. Mea quidem inuidia nihil eorum laudi detrahetur, cuius dulcedine captum quidem, nunquam autem dira eius cupidine deceptum me profiteor. Qui contenti erunt his meis conatibus, suo assensu fati compensabunt opellam iis impensam, qui autem plura et meliora a me expectarunt, hi condicent spem sine causa in me positam, nec difficilis iis erit probatio.







01 A 6523

ULB Halle

3

002 928 612





r

VD 78

10.17.00







14

DE
PROBATIONE
CONDICTIONIS INDEBITI
RITE SVSCIPIENDA

DISPV TATIO
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
P R A E S I D E
AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE
ANTIQTATVM IVRIS PROFESSORE PVBLICO, SOCIETATIS
LATINAE IENENSIS COLLEGA

DIE XVI. OCTOBRIIS CIDI~~CC~~LXVII.

DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS HENRICVS FISCHER

PLAVIA NARISCVS.

LIPSI AE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.